

SECTIO II.  
DE  
IPSA ACTIONVM COLLISIONE.

## §. XVI.

*Casus Imus  
quoad sta-  
tum exter-  
num.*



Homines christiani, itemque Sacerdotes in persecutione, aliisque casibus necessitatis non respiciant bona externa, quorum conseruatio cum detrimento fidei coniuncta est, sed illis se exui patiantur. Perfectio enim animae, quoad illustrationem gloriae diuinae cuius ratio determinans est in anima nostra, est finis perfectionum corporis et status externi, §. VIII. illa igitur est maius bonum hisce; ad perfectiones vero animae fides et quae, et qua creditur requiritur; maius bonum in casu necessitatis minori praefendum, §. XV. Exceptio igitur a regula perfectionis neutiquam a religione, sed a status externi officiis formanda est. Non solum vero cura animi in conseruandis augendisue perfectionibus, sed etiam post hanc proxime corporis summopere est obseruanda. Hinc status externus tam infano amore non est colendus, vt corporis obliuiscaris. Status enim hic tantum ad commoda vitae, et eius sustentationem, et maiorem felicitatem pertinet, illaque respicit, §. X. vita, in cuius gratiam status externus obseruari debet, maius bonum est; maius vero bonum minori in collisione officiorum praefendum, §. XV. Hinc magis vitae habeas rationem, quam status externi, si te huius obseruatio vita priuare posset.

## §. XVII.